Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

D incidit require, hoc autē adminiculo demonstrationis primæ fiet, arcui namq; L Q æquiparatur omnino, B D iam intellecto, C D quoq; arcus erit indagandus hoc modo. Demōstratio quarta ostendit latus A D triāguli A B D, quo habito, id quod ex hypothesi pri' cōpertum est A C ab A D demes, residuus autē arcus C D erit, ita nouum triangulum B D C cōstituisti, qui rectangulus in puncto D est, duobus ergo lateribus cōpertis, tertium quoq; hypothenusan scz C B ita offendes. Si C D basim esse existimas, D B autē cathetum, hypothenusam C B eodē modo quo in quinta G L arcum inuenisti, demonstratione cognosces, veluti clarissimè exponit figura subiecta.



¶ Adhuc alia via eundē triangulum condere licet, veluti si arcum A C maximum basi imponas, vt in sequēti figura apparet, hinc enim arcus B D orthogonalis inter A C cadit, quod vbi fit, prima cum demonstratione arcum B D lustra, cum quarta vero basim A D, postmodū A D subtrahe ab arcu A C, & relinquetur D C, latus quoq; cognitum. Iā rursus triangulum habes B D C, cuius latera B D & D C sciuntur, tertium vt noscas restat, sed hoc quinta demōstratio per arcū G L docet. Hæc itaq; licet pauca sint, sufficiētia tamen ad omnes totius primi mobilis vsus intelligendos fore non diffide.



SEQVVNTVR NVNC OBSERVATIONES COMETARVM quinque.

COMETARVM EXEMPLIS vsurus, oportune facturus sum si à prioribus nō discessero. Visos ergo Cometas quinq; temporibus CAROLI & FERDINANDI Cæsarum ferè cōtinuos, pro institutione in præsens afferre non absonum mihi persuadeo. Atqui hæc nostra exemplificatio nō tam ob instrumenti vsum plenè exequendum studiosiori amplectenda erit, quā propter cometicā, si licet ita loqui, stellæ essentiā perdiscendā, & maxime caudā obseruādam, qua de, neq; Philosophos, neq; Historicos, neq; Astrologos hunc vsq; in diē probatiora saltē attulisse cōstat, vt taceā interim cōtēplationis modū, quē similiter à nemine vnq; priore ostēsum legimus traditūue, vnde nobis liqueret quo pacto & vetustis indagatorib' cēlestes mot' cōstitissent, quē interim negligentiā, proh dolor deplorandā quis non videt? Sed esto nō arduū sit, quomodo cauda à Solis radijs generetur cognoscere, nihilōminus tamē cōsultum indicare videtur, quo pacto & ipse meteoroscopii auxilio idipsum verē esse cōpererim, & hoc ideo, vt posteris quoq;, si quādo post vsus postularit aliqua qua cometas huiusmodi obseruent (quoniā hactenus, vt pace omnium dixerim, nulla vel perquàm exigua fuit) ratio extet. Verē hoc nomine nō omnia cometarū genera inclusisse volo, quorū alii radios circumcirca emittētes criniti appellant, alii caudas in terrā vsq; demittunt, qualis anno 1472 apparuit, cuius nō pauci adhuc memores reperiuntur senes, pauonis caudā vocantes, quoniā nō secus atq; lumē lucerne inditum, terrę caudam defixerat. Alii alio modo caudas radiosq; proiiciunt, super quib' â philosophis iā olim abundè dissertum est. Quo autē modo sequētes Cometæ quinq; caudas secundum Solem instituerint, demōstrandum assumpsimus, idq; sufficienter ex meteoroscopio presenti, quā quidem probationis viam aliâs quoq; per numeros docuisse nos palā est. Præterea hac institutione vsus, licet non vna, sed multiplici ratione idem ostendat vel demonstret, contentus tamē erit simplici inductionis exēplo, quo & cætera per se non difficulter nouerit, breuitate enim omnia comprehendere non est.

COMETARVM PRIMVS

anno 1531 luxit, eo quo Augustæ comitia per Cæsares Carolum & Ferdinandum celebrata sunt, à die 6 Augusti vsq; ad 23 mensis eiusdem, cuius quo pacto obseruationem instituerim, nunc capitulis consequenter 16 aperiam.

DE OBSERVATIONE PRIMVM INstituta adornataq;, Caput Primum.

STELLA iā diebus aliquot conspecta, imò tertium decimum Augusti diem iā occupante de eius contemplatione cogitare solicitus cepi. Hic autē fixū Bootis astrum cum propè circulum verticalē cōsistere cernerem, eo presertim tempore, quo Cometa euidentissime post Solē occultū luceret, nimirum ho. 8 mi. 20 post meridiē, illico animū ad aliud transtuli. Sed obiiciet aliquis forsam me citra rationē sollicitatum, obseruare enim cometam Torqueti opera facillimum fuisse, bene quidē, & fateor, sicut etiam subsequens Torqueti declaratio patefaciet. Verē sic agenti mihi neutiquā caudæ ratio inuestigari potuisset, quare eo quē enumero modo procedi à me debūit, per quē præter illud mobilis quoq; primi vsus ostēdi potuerunt, id quod nō minus quā aliud laboraui sedulo. Primum ergo Bootis stellæ longitudo latitudoq; requirebantur, quorū primum Alfonsus esse testabatur 14 gra. 8 m̄ ♎, secundum 31 gr. 30 M̄ septētrionale. Post hac ex tabulis eiusdē Alfonsi Augium stelarumq; fixarum motus, qui & medius octauæ sphæræ motus dici potest, excerpendus erat, huiusmodi autē à tēpore Christi vsq; in apparitionis hora grasse videbatur ♑ 0 gr. 11 mi. 16 ♓ 39. Postea accessus recessusq; cursum, qui & octauæ sphæræ Argumētum vocatur, collegimus, qui erat ♑ 2 gr. 18 mi. 9 ♓ 8. Quē quidē motum deinceps in meteoroscopii limbo a litera C versus B requisitum, in puncto E finiri cōperimus. Filo deinde super lineā A B tenso, margaritaq; in 9 gra. eiusdē linęę fixa, cum H litera expressimus, 9 enim illi gra. circuli trepidātis semidiametrū referunt. Filo rursus per punctum E extenso, margarita in area punctum F, vbi gr. 8 mi. 48 cernuntur, attingere inuenio. Hæc autē 8 uæ sphæræ æquatio fuerat, quæ medio eiusdem sphæræ motui adiecta, augē cōmunem, quæ est ♑ 0 gr. 20 m̄ 5 procreat, totidē enim gra. & M̄ stellarum errantium auges, inerrantiumq; loca à tēpore Christi vsq; ad obseruationis diem variata sunt. Eadem ratione, motus à Christo ad Alfonsum quoq; perquirens medium octauæ sphæræ motum ♑ 0 gr. 9 mi. 11 ♓ 38 offendi. Argumētum autem 8 sphæræ ♑ 2 gra. 3 mi. 34 ♓ 4, æquationem eiusdē, gra. 8 mi. 4, quę medio motui adiecta, augem cōmunem ♑ 0 gra. 17 mi. 14 creat, tot enim stellarum fixarū loca, planetarumq; auges à Christo vsq; in Alfonsi tempera promouerunt. Vltimo augē minorem à maiori subtrahenti gr. 2 mi. 51 relinquuntur, quod quidem residuum augium & stellarū fixarum progressus ab Alfonso vsq; ad obseruationis tempus indicat, iccirco illud longitudini Bootis additum, verum stellæ ipsius locum, Cometæ tempore, gra. scz 16 mi. 59 ♎ representat.